



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704



DIONYSII PETAVII
de Photino hæretico ejusque damnatione in quinquè synodis facta , ac
de dupli Sirmiensi contra illum sy-
nodo , & formulis in posteriore edi-
tis , Dissertatio : in qua nova quæ-
dam & vulgò haud satis comperta ec-
clesiasticæ historiæ capita produntur.

A D L E C T O R E M .

SCRIPTI de Photino hæretico , deque
Sirmiensi contra eum facta synodo , tum
de variis fidei formulis per illud tempus editis
non pauca neque vulgò cognita in Epiphania-
nis Animadversionibus : quæ cùm ejusmodi
essent ut propter subtilitatem & obscuritatem
non nisi longa explicari disputatione possent , ab
Rationarii historici , quòd tertio jam edimus ,
angustiis excludenda putaveram . Nam nulla ,
quod fateri necesse est , ecclesiasticæ pars histo-
riæ vel impeditior est vel ignota magis , non
hac ætate solum , sed duodecim abhinc ferme
seculis . idque non falsò à me dici sciet qui illa
legere ac perscrutari voluerit . Sed cùm ex eo

tempore quo Epiphanius noster in lucem exiit
quosdam esse compererim qui se nostra illa non
probare dicerent, cœpi omnem hanc historiam,
et quæ de ea commentatus illic éram, atten-
tiùs relegere. Quod cùm sæpe et accuratè fe-
cissim, duo sum affectus; alterum, ut illa
mihi, quæ tum scripseram, non minus quam
antè placerent; alterum, ut in iis recolendis
nova etiam occurrerent alia quæ haud paullò
abstrusiora prioribus essent et digniora scitu et
nullius hactenus vel levissima suspicione per-
stricta. Hæc mihi justissima visa ratio est cur
quaestionem illam tam eleganti auëtam acces-
sione mandarem huic opusculo, et universam
damnati Photini historiam ac Sirmienses fidei
formulas exponerem. quod hoc et altero capite
quam potero brevissime complectar.



DE